DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE PUERPERARUM.

AUCTORE GULIELMO GRAHAM.

PROOEMIUM.

Inter leges hujus academiae praeclare laudatae prescriptum est, ut omnes qui doctoris gradum ambiunt, exemplum, si non doctrinae, saltem diligentiae et peritiae in rebus medicis, judicio eruditorum subjiciant, et quoddam specimen inaugurale proferant; huic legi salutari obsequens, Febrem Puerperarum pro argumento dissertationis selegi.



Hujus argumenti momentum narrare, vix necesse apparet; nam in eo implicatur, valetudo, felicitas, forsan et vita ipsa, partis creationis tam amatu dignae. Ut foemina magnam partem felicitatis humani generis formet, sententia non ludicra est, quoniam auctoritate sua, illa, mentem humanam regit et temperat. "E-" "mollit mores nec sinit esse feros." Hanc sententiam proferens quicquid ad morbos foeminarum refert, aut quorum potentiam super, aut connexionem cum functionibus animalibus, id sibi attentionem jure arrogat.

HISTORIA MORBI.

Febris Puerperarum facillimis partubus, pariter ac difficillimis, supervenit. Divitibus aeque infesta est, pauperibus aeque. Neque ullo anni tempore, quam alio, frequentius

viget et invalet. Hujus morbi impetus secundo vel tertio die post partum esse consuevit: quo autem accedat, ita variat tempus ut aliquando admodum fiat incertum. In monumentis enim medicinae, quaedam extant exempla, ubi in mulierem, viginti quatuor post partum horis vix elapsis, ingruerit. Nonnulla sunt quoque exempla, in quibus, ante foetum quidem expulsum, accesserit haec febris, et cum doloribus parturientis sese confuderit *. Nec desunt denique exempla, in quibus non, ante quartum vel quintum, vel etiam duodecimum diem, primum suum impetum fecerit. A primis febris intermittentis indiciis fere incipit: Frigus autem aliquando vel minimum, vel prorsus nullum, adest, saltem adeo leve, ut non solum aegrotantem, sed etiam ipsam curantes effugiat. Debitum nunc amittunt oculi splendo-

* Hulme, p. 4.

rem ; et vultus, index ille fidelis, non tantum animum demissum sed insignem, quibus laborat aegrota, corporis lassitudinem et debilitatem, patefacit.

Totum abdomen, cessante rigore, tenerum evadit ; primo molle est, sed dolore ingravescente, paulatim tumescit ; neque tumoris magnitudo doloris gravitati respondet ; quando enim dolor minus solito acutus visus est, tumor admodum insignis adfuit. Abdominis dolor perpetuus ac universus est ; plerumque vero unam ejus partem gravius quam caeteras afficit ; hoc tamen admodum varium est. Aliis aegris scrobiculus cordis maxime dolet : aliis vero dolor ad diversas hypogastrii partes refertur ; et nonnunquam inde ad femora vibratur. Abdominis tegumenta tandem adeo tenera et tactus impatientia fiunt, ut stragulorum pondus vix tolerare queat. Ventricu-

lus, ineunte morbo, plerumque affectus, biliosam materiem, vel saeviente febre, subviridem, vel quibusdam etiam nigram, per os reddit.

Pulsus, initio morbi, parum interdum a statu naturali deflectitur: frequentior solito nonnunquam et plenior, imo duriusculus, evadit. Ingravescente morbo, debilis, parvus, celer, abnormis movetur, vixque numerandus, percipiendusve. Capitis, praesertim circa tempora atque oculorum cava, acutus fere semper adest dolor, una cum insolita debilitate, anxietate, et circa praecordia oppressione; pari, ac morbus ipse, ratione gravescens aut remittens. Alvus rarius ex consuetudine fertur, aliquando vero per totum morbi decursum valde fluit: omne ad alvum evacuandam conamen dolorem paulisper auget. Dejectiones, post unum vel alte-

rum diem, spumosas et mali odoris, vel aliquid nigritudinis prae se ferre, subinde compertum est. Parcius fere redditur urina et solito frequentius: mitescente febre, sedimentum abunde deponit: quibus lethalis evaserat morbus, urina saepe parum mutata inventa fuit. Lochia, in pluribus exemplis, nullam mutationem subeunt; in nonnullis minuuntur vel reprimuntur, et in aliis proclivitatem ad putredinem ostendunt. In plerisque mammae relaxantur et flaccidae fiunt; atque lac omnino effluere desinit, vel saltem parcius secernitur.

Urget sitis; lingua plerumque albida est, raro sordida; tactui levis et mollis: nonnunquam, in totam longitudinem, a media parte, rubra et arida est; utrobique albida et mollis, aliquando, usque ad mortem albida est ac mollis; sed multo saepius aliquanto

ante fit sicca, scabra, neque raro exfusca subflava. Nec magis sibi constat cutis: saepe a solita sanitatis temperie vix deflectitur; saepe quidem calida et sicca evadit: nonnunquam vero sudor, qui artus superiores potissimum occupat, prorumpit. Magna etiam spirandi difficultas adest aegrae; de qua saepe plus conqueritur, quam de ventris dolore.

Initio anhelat seu suspirat, potius quam spirat; ut solent aegrae, quae, pro dolore, singulis vicibus tantum spiritum nequeunt haurire, quantus ad vitam alendam et conservandam requiratur. Quo gravior vel mitior dolor est, eo major vel minor spirandi difficultas.

Vigilia fere continua urget, viresque puerperae plurimum convellit: ex parte, mulieri de vita metuenti, et angoribus mentis multum implicitae, tribuenda. Notatu dignum est,

vi et gravitate caeterorum signorum non obstante, delirium perraro, atque tendinum subsultum adhuc rarius, uti observatione constat, supervenire. Virium prostratio cursu adeo celeri subit, ut, post primum vel secundum diem, ex quo tempore accesserit febris, lectulo sese movere aegrotae haud quidem valeant. Faeces, insciente quidem aegrota dejiciuntur; urinaque fluit; pulsuum frequentia, corporis et animi anxietas, et spirandi difficultas, indies ingravescere solent; sudor viscidus ac gelidus in artus diffunditur; et misera, torminibus remittentibus, inani sanitatis recuperandae spe; donec serius vel citius, mors illachrymabilis advenit.

DE INCISIONE CADAVERUM.

Post mortem, abdomen saepe tumidum et minime tensum conspicitur. Incisione facta, ex eo aër male olens emittitur. In exemplis vero in quibus alvi proluvies gravissima, et morbi usque ab initio extiterat, abdomen omnino planum et potius aliquatenus subsedisse visum est. Abdominis cavo, seri luteoli, turbidi, et aliquando etiam male olentis, cujus quantitas haud raro multum variat; et hoc super sero, praesertim in pelvi circa uterum, quoque coagulabilis gelatinosaque natabat materia; quae ex visceribus exudaverat, eademque obducebat. Intestina tenuiora, aëre plerumque distenta, inflammationis vestigia ostendunt, et passim sibi invicem connectuntur. Omentum in

omni exemplo, vehementer affectum, valde inflammatum erat, vasis ejus admodum turgidis, et mole auctis; in paucis quidem exemplis suppuratio, immo etiam nonnullis gangraena supervenerunt. Uterum tamen, in quovis sex exemplorum quae Hulme indagavit, si unum excipias, sine ullis inflammationis signis invenimus: plerumque sanus in pelve jacet, in magnitudinem naturalem contractus. Pulmones, quamvis specie morbidi, re tamen sani sunt. Apparent, ex parte collapsi, propterea quod spirandi dolor, quo, ut supra memoravimus, aegra, dum manebat vita, laborabat, non permittebat ut spiritum haurirent, quantus satis distenderet. Dummodoa ntea sani fuerunt, Puerperarum forsan Febris rarissime facit, si unquam, ut inflammationem concipiant.

CAUSAE REMOTAE.

De causis morbi remotis, diu assidueque indagatis, sed minime adhuc exploratis, nihil certi habemus. Quas igitur apud auctores accepimus, eas jam solummodo enumerare velim, quoniam plura de iis, ubi de morbi natura tractatur, opus dicendi erit. Corpus morbo opportunum redderet graviditas et partus; etenim in priore illo statu, uteri moles increscens peritonaeum valde distendit, et intestina comprimit; in hoc autem posteriore, musculorum abdominis et septi transversi contractione, eadem magis premuntur: partu demum finito, a vi distendente subito sublevatur peritonaeum nec amplia intestina comprimuntur. Notatu dignum est, puerperis omnibus communia ad-

esse omnia, qualiscunque sint generis, quae corpus ad inflammationem proclive reddunt, ut cibi scilicet conditi, vel cupiditate non urgente, vel nimia saltem copia virati: Spirituosi, qualescunque sint, liquores: Contraria ex parte diaeta, quam conveniat, parcior; putridorum, quae in nosocomiis generantur, effluviorum contagio; humidum, vel calor nimius corpori admotus; immodicae, praecipue sanguinis, evacuationes; nimis arctis abdomen fasciis involutum; alvus astricta; his varii animi affectus, nimirum, anxietas, gaudium, ira, aliique non pauci, quos hic memorare usitata hujusmodi dissertationum vetat brevitas, accedere possint; vituperanda denique munditiae incuria.

DE INDOLE MORBI.

Jam ad id, quod in dissertatione nostra magni est, appulimus: si enim nil certi de causa proxima morbi et ejus natura cognoscendum sit, omne quod in medendi rationem operae navetur, vanum et futile erit. Si historia morbi, supra prolata (qualis est a diversis auctoribus collecta) in animum revocetur, signa quae in ea enumerantur, omnia ne unam puerperam subituram, primo intuitu patebit. De morbi hujus natura, varias opiniones protulere medici; quisque propriam sententiam totis viribus et argumentis solertia plenis, suffulciens. Hujusmodi autem opiniones omnino tres sunt; contendit Walshius, proximam Puerperarum Febris causam esse typhum, tantummodo puerperio

modificatum. Censent plerique medicorum in continente Europae terra, Doulcetius in primis, esse lactis translationem. Hulmius et Leakius potius habendam peritonei inflammationem, existimant. De his deinceps opinionibus, pauca dicenda erunt. Hanc affectionem contagio vulgari, hinc liquido patet, quod post plures eadem, in valetudinario Edinburgenio raptas, D. Young, qui eidem tunc temporis praefuit, omnia cubicula purganda atque pingenda curavit: quo facto, morbus evanuit, neque hac cautione adhibita, denuo reversus est. Nihil existit autem cur credamus, morbum contagione speciali diffundi: Quandoquidem Prof. Home nos certiores facit, eas mulieres, quae tempore quo hic loci grassatus est, apud se peperere, eodem immunes evasisse *. Prius-

* Vide Clinical Experiments, etc. sect. 4.

quam vero ad has perpendendas sententias pergamus, de auctoris nuperi sententia, quae forsan objici potest, quaedam notare oportet *. Enimvero is censet duos quidem morbos, natura sua penitus diversos, sub eodem nomine, Febre scilicet Puerperarum saepe confusos fuisse: hi sunt peritonitis vera, et quaedam febris nervosa, inflammatione peritonei, seu abdominis cujusdam partis interioris, nunquam non conjuncta. Nec mirandum est, Puerperarum Febrim in nosocomiis publicis, prae aliis locis vigere; cum non solum omnes causae excitantes, ibi locorum adsint, sed etiam pauperculae, quae subsidia ex hujusmodi institutis provenientia in rem suam vertere, necessitate cogantur, huic morbo insigniter proclives sint oportet. Infirmae sortis mulieres, dum uterum gerunt,

* Clarke Londinensis.

enormi vitae generi, ingentique defatigationi, necessario objiciuntur.

Opinio quae lactis secretionem impeditam huic morbo causae fuisse, eodem scilicet in corporis varia deposito, indicat, talis videtur, qualis ne etiam labore quam minimo in eam refutandam impenso digna videatur; etenim, ut monuit solers Kirkland, lac, rebus sic se habentibus, extra propria vasa effundi posse, et febrem inducere, aeque ac icterum bile non antea secreta oriri, absonum est asseverare. Peritonei inflammationem eundem morbum proxime excitare, contendit Hulme et Leake; dissectiones quas instituerunt solertes Ponteau, Hulme, Leake, nosterque illustris D[r] Home primus, sic se res habere suadent equidem; Hulme vero et Leake quomodo morbus aboritur explicare conantes, inter se discrepant; Hulmius pro

sua opinione ita disserit. Qua, ait ille, uterus ampliatur ratione, eadem intestina premet, et sex mensibus fere elapsis, ea multum gravabit. Appropinquante itaque parturiendi tempore, intestina in tam angustum spatium coarctabit uterus, ut fieri non possit, quin in iis sanguinis motus magnopere impediatur. Hinc igitur evenit, ut, in minusculis horum viscerum vasis, nimia congeratur sanguinis copia: Quacirca, tunicae quoque ampliorum quidem vasorum nimis distenduntur, ideoque iisdem nonnihil atoniae inducitur. Inde vero mulier, dum uterum gerit, propter sanguinis ad uterum cursum, nullum incommodi accipere videtur. Foetu autem expulso, uteroque iterum collapso, sanguis, idem ait auctor, in novum divertitur cursum, in vicinorum praecipue intestinorum vasa; quae, propterea quod, ob pressuram modo dictam, atonica evaserint, haudquaquam ad

sanguinem eum propellendum pollent, quem adaucta nunc accipiunt quantitate. Necesse est igitur, ut etiam plus, quam prius, distendantur; utque iis periculosa tandem inflammatio inducatur. Si Hulmii enim Theoriae veritati congrueret, quidnam afferri posset rationis; quare, utero adhuc gravido, ideoque intestina et omentum graviter premente, morbus hicce non magis saeviret? Quare affectus, nunquam nisi post causam amotam sese ostenderent? Quare idem hic morbus non latius crebriusque grassaretur praesertim cum gravidis omnibus remota ejus causa, uteri scilicet in omentum et intestina pressura, semper adsit.

Nec mihi cum Leakio hanc inflammationem ex amota uteri pressura pendere, convenit; et quantum (si propriam sententiam liceat proferre) ego dijudicare

possum, ad animum explendum sufficiat; etenim (ut quamobrem ei faveam exponatur) subitam mutationem in toto corpore ex parte affectam, et sanguinem necessario, ex utero sese contrahente, alias quam inter gestandum se in illa regione deflectentem, ad inflammationem concipiendam viscera abdominis proclivia posse reddere, et praecipue ad hunc morbum prognoscendum conducere Leake existimavit: Nimirum, quia subito uteri gravidi, pressura liberatur aorta descendens pariendo, sanguini per vasa ab ea divaricantia impulsu quod obstabat minuetur; idem ideo, vi etiam aucta in ista vasa irrueret, et iis praeter solitum exinde distensis, dolorem cum inflammatione, omenti praecipue et intestinorum, per quae, eadem plurima et maxime laxa discurrunt, et pyrexiam nonnunquam ciebit. Talem revera circuitus mutationem contingere monstrat, ea syncope

quae haud raro subitum partum insequitur, adde huc quod uterus valde se contrahens, sanguini, qui antea libere ejus vasa permeabat, foetumque nutriebat, transitum non amplius praebet; et hinc quantitas multo major solito in partes vicinas rejicietur, eorum vasa magis adhuc distendit, et proclivitatem ad inflammationem augebit. Foetus auctam molem intestinorum tonum minuere, apud omnes consentitur; atque revera quae graviditatem comitari solent, alvus nempe astricta, colici dolores, flatus; debilitatem et atoniam intestinis affecisse luculenter monstrant. Certe igitur organa illa facile in tali conditione cuicunque causae distendenti cedent, nec deinceps cito supervacaneum sanguinem effundent, aut solitum suum tonum et magnitudinem recuperabunt.

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

De ratione symptomatum haud opus erit multa verba facere. Abdominis cruciatus iisdem, quibus in aliis phlegmasiis dolor, causis tribuendus est. Virium subita prostratio eadem, quae in gastritide et enteritide est, et sicuti in his morbis, et si haud satis constat, e consensu inter cerebrum et tubum intestinum totum fortasse pendeat.

Nausea et vomitus materiae subviridis vel ex ventriculi atonia,ejusdemque statu irritabili oriri videntur, vel ex bilis per pylorum in ventriculum ascensu, qui motus intestinorum peristaltici inversione efficitur. Motus hic intestinorum peristalticus invertitur, vel ob constrictionem spasmodicam stercorum descen-

sum prohibentem, vel ob stimulum et irritatitonem praeternaturalem iis et ventriculo impertitam ab inflammatione et a bile, quae eo ipso tempore majore copia secernitur. Bilis haec praeternaturalis secretio tribuenda est mutatae in puerperis uteri conditioni, majorem sanguinis determinationem ad alia viscera, praesertim ad jecur efficienti, vel perpetuo bilis vomitui, qui excretoria emulgendo ejus secretionem quam maxime auget.

Diarrhoea partim, alvi duritiae ei praecedenti, cui gravidae fere omnes obnoxiae sunt, (et talem alvi conditionem diarrhoeam saepe cura novimus,) partim materiae biliosae tam copiose in intestina effusae, irritationi tribuenda videtur.

Spirandi molestia ex dolore oritur, quem, dum inspirat aegra, septi transversi descen-

sus, dum expirat, musculorum abdominis contractio facit; eadem autem, in quibusdam casibus, quadam pulmonum inflammatione, quam ipsa sanguinis circuitum impediendo excitaverat, augeri videtur.

De mortis, demum, causa profecto haud satis constat: raro enim accidit, inflammationem peritonei ad sphacelum progredi; neque ullo modo comprobatum fuit, fatalem exitum ex liquidi effusi absorptione pendere: forsitan, perinde ac in gastritide et enteritide interdum accidere videtur, ex ultima corporis infirmitate inducta mors oriri potest.

DE DIAGNOSI MORBI.

Quoniam, ut suo loco jam dictum est, adeo saevus est abdominis dolor, ut ne minimum

quidem tactum ferre sine magno ejus incremento possit; amplius disserere, de discriminibus, hunc inter et alios morbos fere supervacuum esse videtur.

Operae pretium tamen forsitan erit, mentionem quorundam morborum facere, quibuscum haec affectio confundi maxime potest; sunt seu notissimi illi dolores, qui partum excipiunt; sive uteri inflammatio, sive febris lactea, vel colica, miliaria; enteritis, vel demum cholera.

Dolores abdominis, in acuta Febre Puerperarum, ab iis qui post partum enasci solent, haud parum dissident; eo quod, hi, interpositis intervallis, modo decedunt, modo redintegrantur, et demum, fluxu lochiorum plenius reddito, prorsus evanescunt: ita febre non stipantur. In Puerperarum vero morbo,

quem persequimur, ingens vis febris est; et vel levissimus tactus intolerabilem ventris dolorem excitat.

In hysteritide, quae multo magis quam caeteri morbi Puerperarum Febrem simulat, dolores non nisi in utero ipso et femoribus praesentiuntur, in hac vero praecipue in ventriculo et intestinis; in illa aliquando paulum tarda est alvus; in hac soluta: ex tactu autem non dolet uteri os, nec in ejus initio delirium exagitat. Siquidem a capitis dolore et rigore, febris lactea, pariter ac Puerperarum, incipiat, protinus dijudicare uter sit morbus difficile erit: Si vero mammae brevi tumescant cum molestiae sensu, et alae dolent; simul nullo accedente ventris dolore vel teneritudine, vel spirandi difficultate, hanc esse febrem lacteam, pro comperto habere possumus.

Dolor torquens circa umbilicum aegram vexat, vel huc illuc vagatur; tactu etiam levatur, et nullam pyrexiam secum habet, alvo simul pertinaciter astricta.

Specialis papularum forma, quae miliariae superveniunt, una cum sudore oleosa, frequenti suspirio, et punctionibus cutis; ut a Culleno celeberrimo definitur, hanc a Puerperarum Febre satis facile distinguit.

Enteritidem inter et peritonitidem Puerperarum difficilior fit diagnosis; illa enim, nisi dolore circa umbilicum torquente, alterius signorum pathognomonicorum, qualia sunt abdominis inferioris teneritudo, et dolor acutus, supra supercilia, etiam dolor pungens, et spirandi molestia, absentia potius dignoscitur.

Cholera, quippe qua aegrae nulla febre laborent, sed, gravissimis torminibus cruciatae, biliosa infra transmittant, haberi non potest peritonitide; qua correptae acuta exercente febre, dum earum alvus neque verminibus affligitur, neque biliosa excernit.

PROGNOSIS.

Si natura mulierem habitu debiliore finxerit; si forte, immodicae post partum exinanitiones, naturali eam vigore spoliaverint: vel si denique morbus vi insolita, statim post partum, ingruerit: Eo citius febris suum peraget cursum, eoque majore in periculo aegrota versabitur. Permultae infelicissimae hujus generis puerperae, ante viginti quatuor, post primum febris accessum, horas, morti occubuisse, in medicinae monumentis ferun-

tur. Saepius vero morbus hicce, non, nisi paucos post dies, ultimam suam metam attingere, medicis observatus est. Inter omnes auctores convenit, arteriarum pulsui potissimum esse fidendum: "The most distin-"guishing and inseparable symptom of all "others, is the quickness of the pulse; "whatever other quality be joined to it, "which constantly occurs whenever this "fever exists in any alarming degree, and "from which the degree of danger may be "estimated more certainly, than from all "the other symptoms put together *." Si igitur arteriarum pulsus, aliquandiu post idonea remedia perite exhibita, celeres, et simul parvi, ac debiles, perstiterint; licet omnia caetera signa speciem benignam assumant, aegraque levamen percipiat; summum

* White.

tamen periculum timendum est. Gravioris morbi periculum, ubi dolor vehementer urget, ubi spiritus difficilis trahitur, ubi vigilia continua premit, ubi lingua arida et aspera fit, et color lividus genas insidet. Periculosum est etiam, si alvus ante morbi impetum tarda fuerit, pessimum vero, si vomitus, viridis vel nigricans, frequens incitat, si tertio quartove die, fluente adhuc alvo, abdomen tumidum, intentum fiat. Si quando, una cum ventris fluxu, vel multo sudore, aut urina copiosa, arteriarum pulsus tardiores, et pleniores evadere, reperiantur, aegram in bona esse spe concludi licet.

RATIO MEDENDI.

Ab istis, quae de hoc morbo ratiocinantes protulimus, varia, sicut ipse varietur, meden-

di consilia postulare facile patebit; quia nec non consilia ista inter se valde discrepant, hoc vel illud prae alio usurpare, aegrae periculum haud leve forsitan adferat; insigni et maxime intenta igitur, signa quae secum adferat vel causas, a quibus oritur morbus, cura animadvertere medicum oportet. Quantum (nec lene fuit certamen) de morbi natura, tantum de medendi ratione maxime idonea et proficiente, disceptatum fuit; ad rationem omnino similem quod quidem adscribendum est. Medicus enim fere omnis, hoc malum in omnibus unum idemque esse sibi persuasit; quia vero inter hujusmodi mala variatur, iis subvenientia non eadem sint necesse est. Consilium medendi duplex est: 1mo, Enim vim reactionis imminuere: dein 2do, Debilitatis vel causas omnino tollere, vel, si id fieri nequeat, saltem

ejusdem effectibus obsistere, medicos oportet.

De modo harum indicationum priorem peragendi, inter medicos disputatur. Alii emeticis praecipue, alii catharticis, alii venaesectioni, laudaverunt. Plerique tamen medicorum hortantur, ut in hoc posteriore remedio maximam curam semper adhibere debeamus. Quidam, profecto, longe ulterius: et affirmant aegrotae semper lethiferum. Omnibus conspicuum esse spero ut in remedio tantae vis adhibendo prudentia summa necessaria sit; vero multum animus mihi fuit opinari, exempla esse febris Puerperarum crebra, in quibus, tantum abesset, quin aegrotam extingueret, ut potius salutare esset prorsusque necessarium. Si adhuc juvenis, valida vigensque aegrota sit, plena pulsuque duro, haud ita diu cunctarer, ineunte morbo

invocatus venaesectionem adhibere. De hujus remedio viribus in hoc morbo, celeberrimus Denmanus his verbis, sententiam suam profert: "In the early part of my practice, I had much doubt of the propriety of bleeding indiscriminately for the cure of this disease, and I was long of opinion, that it was not the most natural, safe, or effectual remedy. I considered that spontaneous haemorrhages were seldom critical in this disease; I suspected that women in childbed sustained bleeding worse than in any other situation; and, from some defect in the remedy, or some error in the application, I often found myself disappointed in my hopes and expectations when I relied upon it. It seemed also an observation of some importance, that those women who had lost much blood at the time of delivery were more liable to this disease, and that it was more commonly fatal

to them. The consequences also of erring by the too free use of the lancet seemed more to be dreaded, because they were harder to be repaired, than those which might arise from an opposite conduct.

" But I am now convinced, by manifold experience, that my reasoning was fallacious, and my fears groundless, and that what I had considered as proofs of the insufficiency or impropriety of bleeding in the true puerperal fever, ought in reality to be attributed to the neglect of performing it in an effectual manner, at the very beginning of the disease. In short, if the first stage be suffered to pass unheeded, bleeding will certainly be injurious, the opportunity being lost; and the Physician afterwards called in, however great his talents, will too often have the mortification of being a spectator of mischief, which

he cannot then remedy, and of an event which he can only deplore. It is in general absolutely necessary to bleed in the beginning of the Puerperal Fever, and we may then avail ourselves of the advantage which this operation affords, with equal safety and propriety as in any other inflammatory disease, under other circumstances. With respect to the quantity of blood drawn, we are to be guided by the constitution of the patient, and the violence of the symptoms, being cautious not to err by bleeding unnecessarily, or in taking away too large a quantity. But, if benefit should be derived from the first operation, and the violence of the disease shall require it, we shall be justified in repeating it at short intervals; not with the view of moderating or retarding the progress of the inflammation, but if possible of wholly suppressing it. For, when the fever has re-

mained for a very few days, the putrid symptoms advance very rapidly, and its continuance depends upon causes which cannot be removed, but will be encreased by bleeding. When the attack is violent and the constitution feeble, it is always more safe and expeditiously serviceable to draw blood by scarrification and cupping, or by the application of eight or ten, or even a greater number of leeches to that part of the abdomen which appears to be principally affected. In some countries, the application of leeches to the haemorrhoidal veins has been considered as more effectual in this disease than any other mode of bleeding. I must acknowledge, that the advantages which I have often seen derived from local bleeding, have given me the greatest satisfaction and pleasure."

Venter postea libere aperiendus a neutralium salium quibusdam, et plerumque tempestivum erit, portiones earum exiguas aptis intervallis adhibere, donec violentia inflammationis indiciorum subsiderit. Fomenta abdominis sesquihoram vel horam uno tempore continuata, et brevibus intervallis, per primos dies repetita, praebere maximum auxilium aegrotae reperta sunt. Et magnum effectum habere inflammatione in redigenda, videntur. Clysteribus emollientibus debetur, quaedam notitia, ut, aliqua ex parte eundem effectum habere tendunt. Epispastica, recta post sanguinis detractionem imposita adversus hoc malum profecisse dicta sunt: ista vero, nullo modo, nisi quarundam partium dolores amovendo, in hac febre proficere posse verisimile videtur. Emetica, si vomitionem dolor abdominis permittat, vel si nausea urgeat, dari debent. Caeteris omnibus

antimonium tartarisatum praestat; non solum vomitum excitat, sed alvum quoque dejicere solet, et si parvis dosibus sumetur, lenem sudorem movendo, viscera sanguinis congestione exonerando, spasmumque superficiei tollendo plurimum confert. Sed ipecacuanha a quibusdam medicis, praesertim Gallis, pro specifico in hoc morbo habetur. Hujusce rei causa haec est. Statim ac rigor puerperam qualemcunque adoritur, ipecacuanha grana octo administrantur, et sesquihorae intervallo repetuntur; hoc modo febris jam incipientis cursus interrumpi solet, et quicunque sit morbus, sive febris sit communis, sive miliaria, sive ephemera, a Puerperarum Febre aegram liberari contendit medicus. Quamvis autem tempestivum emeticorum usum ob jam enumeratas rationes commendo, tamen Puerperarum Febrem his remediis solis fugari posse maxime dubito. Quo enim modo ab iis solis

resolvi potest inflammatio peritonei et omenti, quae morbi hujus est causa proxima, (in mea opinione) et quae per tempus aliquod, antequam rigor, vel abdominis dolor, sentiantur, existere solet, ut ex cadaverum, intra dies ab accessione duos necaturum, in quibus non solum inflammatio, sed etiam effusio manifesta inveniebatur, incisione constat, sudor lenis, modo aptis medicamentis, elici potest, humores corporis superficiem versus determinat, unde penetralia sanguinis congestione exonerantur. Haustus, ammonia et succo limonum confecti, et dum etiamnum effervescunt, sicut Riverio primus mos fuit, adhibiti, et gratum remedium est, et apprime utile; adhibendi autem quidam modus retinendus, ne aer nimis copiose evolutus, ventriculum distendat, quod dolorem abdominis intendere et spirationem magis accelerare nonnunquam visum est. Quod ad rationem medendi atti-

net; quicquid valde corpus incitat, sedulo in hoc morbo caveri debet; eoque magis, quod puerperae prae caeteris, levibus saepe causis multum et male afficiuntur; ab omni itaque strepitu amoveri aegram oportet, simul cubiculum subobscurum esse, ut somno et quiete indulgeat. Aer frigidulus et purus caute conservandus; et nunc de reactione et quibus imminuatur remediis, satis dictum; nunc igitur qua ratione effectibus debilitatis obsisti possit, explicare, opus est ut festinemus.

CONSILIUM SECUNDUM.

Aegrae vires sustentare, symptomata graviora lenire, et naturae suam vim medicatricem occasionem praebere exercendi, officium medici jam solum restat. Hoc consilio ad dolorem leniendum, alvùm cohibendum,

et somnum inducendum, aptissimum est opium; et ad vires sustinendas vinum, aliaque cardiaca. Cortex Peruvianus, anne, hac in febre, tuto et cum fructu adhiberi possit, inter medicos disputatum. Quin interdum adaugeat diarrhoeam, et etiam sublatam haud raro iterum inducat, minime quidem potest dubitari. Praeterea, hoc in morbo adhibitus, solet plerumque vel gravem abdominis dolorem afferre, vel jam illatum augere. Cautissime igitur, si unquam adhibeatur. Si perstat diarrhoea, leniter astringentibus in anum injectis, quibuscum quadraginta vel quinquaginta tincturae opii guttae commiscentur; et sicut res postulant, iteratis, reprimatur oportet. Sin autem haec parum commodi praestant, tentare licet, quid efficiet rad. colomba, vel forsitan, lig. campechiensis, vel quodvis aliud valide adstringens. Per totum morbi decursum, frigus externum aegrae libere admoven-

dum oportere, ex exemplis a Doctore Kirkland traditis docemur. Ex salutari aëris frigidi effectu aliquid etiam beneficii ex aqua frigida licet, et quoniam haec cruribus et abdomini sine injuria in enteritide admota fuit, inflammatio localis a periculo faciendo nequaquam nos terrere debet. Signa alia molestiora, prout superveniant, mitiganda sunt. Sed ante omnia, morbus, gravidam perite curando, et post partum causas excitantes vitando, praeveniendus est, si fieri possit.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.